

lique Romain à un de ses Amis d'Italie touchant l'état présent des Catholiques Romains en Hollande, 7-Novembre 1704.

Littera ad Archiepiscopum Sebastenum nomine Sacr. Congregationis de Propaganda Fide 25. Augusti 1703. ut fertur, scripta, ab inquietis quibusdam hodie in lucem edita, notis vero brevibus illustrata per Janum Parrhasium. Amsterodami 1704.

Diotrephes, sive Spiritus, & Opera Theodori Cœcii accurate descripta, & justificando Clero cum in Vicarium Apostolicum non recipienti in laicem data, ab Eugenio Clario Theologo. Lugduni apud Henricum Aerssen, 1704.

Festivarum, aliorumque Romana Curie adulationem de Summi Pontificis auctoritate commenta, Regnis, Regibusque infesta, ac specialiter Supremis, Præpotentibusque Federati Belgii Ordinibus periculosa: fideliter proposita per Juris Consultum Batavum, Ecclesie, & Patrie amantem. Amsterodami, 1704.

Nota breves in Epistolam ad Catholicos Hollandia, qua sub nomine Pontificis Clem. XI. circumfertur, per Juris Consultum Batavum.

Nota in Decretum, quod sub Inquisitionis nomine circumfertur contra Archiepiscopum Sebastenum, per Janum Parrhasium.

Disquisitio Theologica de potestate, ac jurisdictione, quibus in Federati Belgii Provinciis etiamnum fruatur Archiepiscopus Sebastenus, ablato licet Vicariatu Apostolico, nunquam antehac Typis edita.

Zedelyke Overweginge van het Decreet der Roomse Inquisitie, des Jaars, 1704. 3. April. Tegens de Ver Klaringe en Verantwoordinge des Aartsbisshops Van Sebasten. Rotterdam 1704. Idest Modesta consideratio Decreti Romana Inquisitionis anni 1704. 3. Aprilis &c.

Vreedzame Vearschouwing, over Zekere Brief de Naam Voerende van Clem. XI. Idest Pacifica Admonitio super certam Epistolam nomine forentem Clementis XI.

Denunciatio Apologetica Petri Coddæ Archiepiscopi Sebasteni sinceris, solidisque documentis firmata, quam circa præcipua casu sue capita evulganda duxit. Trajecti ad Rbenum, 1706.

§.1. Auditis itaque memoratorum Cardinalium, qui relatas sibi super iisdem Libellis plurium in S. Theologia Magistrorum censuras diligenter perpenderunt, sententiis, creditum Nobis a Domino Pastoralis curæ, atque vigilantia munus, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de eorundem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, non modo omnes, & singulos supradictos Libellos, utpote multa falsa, calumniosa, Apostolicæ Sedi, ejusque Ministris injuriosa, piarum aurium offensiva, scandalosa, temeraria, erronea, atque in apertum schisma tendentia respective continentes; verum etiam omnes, & quoscunque alios Libros, Libellos, Epistolas, & alia quævis opera, seu opuscula directe, vel indirecte adversus præfatum nostrum Decretum remotiois supradicti Petri Archiepiscopi, necnon damnationis, & prohibitionis memoratarum ejus scripturum quocumque idiomate hæcenus edita, & si quæ in posterum edi contigerit tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac pro

Damnatio re-
torum libro
romuliorum
que edendos
rum.

damnatis, & reprobatis perpetuo haberi debere decernimus.

§.2. Ac proinde omnium, & singulorum, tam supra descriptorum, quam aliorum quorumlibet similium libellorum, librorum, Epistolarum, operum, seu opusculorum impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianis, etiam specificis, & individua mentione, ac expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdiximus, & prohibemus. Volentes, & Apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque libros, libellos, Epistolas, opera, seu opuscula prædicta, vel eorum aliquod penes se habuerint, illa, seu illud, statim atque præfatas Literas eis innotuerint, teneantur tradere, atque consignare locorum Ordinariis, vel Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, qui exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent.

Prohibitio eorundem.

§.3. Insuper sub pari excommunicationis poena interdiximus similiter, & prohibemus, ne quis in Concionibus, Catechismis, Lectionibus, aut aliis ad Populum Sermonibus prædictum nostrum Decretum in causâ memorati Petri Archiepiscopi, summa quidem maturitate, & justitia editum, ullo tempore, vel quovis prætextu impugnare præsumat, vel eadem quomodolibet ausu temerario contraire.

Item prohibitio impugnan-
di præd.
Decretum Pontificium.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausula.

§.5. Ceterum, ut ipsæ præfatas literas omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate præfata decernimus, illas ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curie Generalis in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui: Sic vero publicatas omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficere, & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ & notificatæ fuissent: Earundem autem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Exhortatio ad pacem.

§.6. Demum omnes, & singulos, qui in præfatis federatis Provinciis vere Catholicorum nomine censerî volunt, & Apostolicæ Sedi communiione sociari, atque eos præsertim, qui in sortem Domini vocati, spiritu humilitatis, lenitatis, & obedientiæ debent cæteris præluere, pro paternæ nostræ charitatis debito hortamur, rogamus, atque obsecramus in Domino Jesu, ut depositis similitudinibus, & Partium studiis, discant idipsum sapere in Domino, donantes invicem, si quis adversus aliquem habet, quærelam, sicut, & Christus donavit Nobis, ut non blasphemetur nomen Domini; sed unanimes hono-

honorificemus Deum, & qui una fide jungimur unitate spiritus, & vinculo pacis invicem copulemur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Octob. MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

*
Dat. 19. Dec.
1707. An. 8.

CVII.

Damnatur, & prohibentur Libri sub titulis: Doctõris Laurentii Pires Carvalho Quæstiones selectæ de Bulla Cruciatæ &c. Epitome das Indulgencias, e privilegios da Bulla da S. Cruzada &c.

Consi. ed: 1707, Octob: 4, P. 7 damnati fuerunt Libri adversus Decretum Apostolicum. Et Consi. ed: 1708, Maji 14, P. 8 damnatur Liber: Traitè de la Paisence Ecclesiastique &c.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Referantur
libri præd.,
& eorum da-
mationis ca-
usa.

CUM, sicut Nobis innotuit, quod in lucem prodierint ante aliquot annos duo Libri, unus quidem in duos Tomos divisus sub titulo infrascripto, videlicet: Doctõris Laurentii Pires Carvalho Quæstiones selectæ de Bulla Cruciatæ Lusitania, Pars prior, & posterior. Vlyssipone 1698; alter vero Lusitanico idiomate editus, cui titulus: Epitome das Indulgencias, e Privilegios da Bulla da Sancta Cruzada reparado pera major clareza em titulos pellas Indulgencias, e diversas facultades, que contem, com alguns advertencias no principio, composto por Lourenço Pires de Carvalho do Conselho de Sua Magestade, deputado do Tribunal da Consciencia, e Ordens, e do Conselho dos tres estados, Commissario Geral da Bulla da Sancta Cruzada nestes Reinos, & dominios de Portugal. Lisboa 1696. Et Venerabiles Fratres nostri S.R.E. Cardinales in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem generales Inquisitores a Sede Apostolica specialiter deputati audita librorum hujusmodi censura sibi relata illos damnandos, & prohibendos esse censuerint. Hinc est, quod Nos pro commissâ Nobis divinitus gregis dominici cura animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex eorundem librorum lectione, & usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere cupientes, de memoratorum Cardinalium consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, libros supradictos, & eorum quemlibet tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, ipso rum librorum, & eorum cujuslibet impressionem descriptionem, retentionem, lectionem, & usum omnibus, & singulis Christianis, etiam specificis, & individua mentione, & expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, omnino interdiximus. Volentes, & Apostolica auctoritate præcipientes, ut quicumque libros prædictos, vel aliquem

Damnatio, &
prohibitio cu
mandato il
los tradendi
Ordinariis,
vel Inquisito-
ribus.

eorum penes se habuerint, illos, seu illum, statim atque præfatas literas ad eorum notitiam pervenerint, teneantur tradere, atque consignare locorum Ordinariis, vel Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium, facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausula.

§.1. Ceterum, ut ipsæ præfatas literas omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curie Generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; Sic verò publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum, personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; Utque earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Decembris MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CVIII.

Declarantur nullæ Electiones duorum Administratorum Ecclesiarum Gnesnen. & Uladislavien. & quæcumque inde secuta, & secutura cum nonnullis Ordinationibus.

*
Dat. 4. Febr.
1708. An. 8.

Consi. ed: 1707, Maji 21, P. 7 declarata fuerunt acta nulla pro electione Episcopi Aquilani. Consi. ed: 1707, Jul: 27, P. 7 damnata sunt Concordia circa fructus Ecclesiasticos Ducatus Parmæ, & Placentiæ cum Militibus Germanis. Consi. edita 1711, Januarii 3, P. 1 declaratur nulla Deputatio Vicarii de Seorga aliisque locis Venetiarum Diocesis. Et Consi. ed: 1711, Jul: 28, P. 11 damnantur Decreta Consilii Versavie de solutione fructuum Ecclesiasticorum pro exercitu alendo.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ROMANUS Pontifex in sublimi Apostolicæ Sedis specula cum potestatis plenitudine a Domino constitutus suo, & Apostolicæ Sedis, inferiorumque Ecclesiarum, ac illarum Præsulum Jura, ex commissi sibi cælitus Pastoralis Officii debito, facta tecta tueri, & si quando ea temerariis quorumcumque ausibus violata essent, ab ejusmodi violationibus asserere studet, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, æquitati, & Justitiæ consentaneum, esse in Domino arbitratur.

Exortatio.

§.1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam, non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quod tamen Nos alias, nempe die 7. Julii 1706. in Consistorio nostro Secreto, ut moris est, Ven. Fratrem Stanislaum Szembek tunc Episcopum Uladislaviensem a vinculo, quo te-

Stanislaus Szembek trās-
latus fuit ad
Metropolitica-
nam Gnesnen
1706 Jun. 7
& Condati-

ms. Sclavica
viki electio
Uladislavien.
Junia

nebat, de Venerabil. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, & Apostolica potestatis plenitudine absolventes, illum ad Metropolitanam Ecclesiam Gnesnensem, certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutam, de consilio, & potestatis plenitudine paribus transfulerimus, ipsumque eidem Ecclesie Gnesnensi in Archiepiscopum prefecerimus, & Pastorem: curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesie Gnesnensis, illi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, liberamque illi ad Ecclesiam Gnesnensem hujusmodi transeundi licentiam tribuendo; necnon, tamen subinde, nempe die 25. ejusdem Mensis Junii itidem in Consistorio nostro secreto ipsi Ecclesie Uladislavien. per translationem hujusmodi vacanti de Persona Venerabilis Fratris Constantini Sziarnavvski Nobis, & Cardinalibus prefatis ob suorum exigentiam meritum accepta, de eorumdem Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica providerimus, ipsumque Constantinum eidem Ecclesie Uladislavien. in Episcopum prefecerimus, & Pastorem: curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesie Uladislavien. illi in spiritualibus, & temporalibus plenarie similiter committendo, & alias prout in binis, seu pluribus nostris sub plumbo desuper expeditis literis uberius continetur, ac tamen demum ipsi Stanislaus Archiepiscopus, & Constantinus Episcopus, post captam, & apprehensam Ecclesiarum prefatarum possessionem, suos in illis respective Officiales constituerint, & deputaverint: nihilominus non defuit, qui omnium humanarum aequae, ac divinarum legum immemor, nullaque ad id legitima auctoritate suffultus, sed sola laicali potestate, seu potius armorum violentia fretus, per suas literas Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis dicte Metropolitanæ Ecclesie Gnesnensis, die 16. Septembris anni proxime præteriti, seu alio veriori tempore conscriptas dictum Stanislaum Archiepiscopum usurpatorem illius Ecclesie nuncupare, ac proinde ab ipsis Capitulo, & Canonicis aliquem ex eorum gremio in Administratorem bonorum ejusdem Metropolitanæ Ecclesie, perinde ac si illa adhuc vacaret eligendum esse, temere, injuste, & sine ullo prorsus legitimo fundamento asserere præsumpsit, ac subinde non minus audacter per alias suas die 23. ejusdem Mensis Septembris, seu alio veriori tempore exaratas Literas eidem Capitulo, & Canonicis injungere ausus fuit, ut omnes proventus dicte Metropolitanæ Ecclesie Gnesnensis, tanquam vacantis a tempore obitus postremi illius Archiepiscopi tam præteriti, quam futuri titulo mutui futuro Archiepiscopo, ut asseruit, per Rempublicam refarciendi, in manibus, cujusdam Capitanei Commissarii a se nominati, ad effectum illos erogandi pro authoranda totius Patriæ militia, consignari, extrahi, & numerari absque ulla cunctatione curarent, sub poenis per leges contra mandatorum regionum Transgressores statutis, ac adfecta insuper executionis militaris comminatione.

At 1707. d.
Metropolis
declarans
suo usque
a potestate
sculari, &
ignovari
Capitulo
Gnesnensi,
ut eligere
retur
fructus
tradere
Capitaneis.

Remissi
Capitulo
vis
illata
fuit.

§.2. Successive vero, cum animadvertisset, quod literæ hujusmodi, & mandata in eis contenta (Capitulo, & Canonicis prefatis obtemperare eis merito detrectantibus) inania prorsus, & absque ullo effectu remanebant, militaribus copiis inter quas plures Acatholicorum secum foederatorum

legiones numerabatur, stipatus, versus Civitatem Gnesnensem se contulit, ibique in Oppido Shupen, nuncupato a dicta Civitate quatuor circiter miliaribus distante easdem militares copias disposuit, deinde autem per quemdam Abligatum suum ad eandem Civitatem missum, Capitulum, & Canonicos prefatos ad electionem memorati Administratoris, qui Officiali, quem prefatus Stanislaus Archiepiscopus, ut præteritur, constituerat, amoto, regimen dicte Metropolitanæ Ecclesie Gnesnensis, necnon curam, & administrationem bonorum illius Mensis Archiepiscopalis susciperet, urgere cepit; comminando reuenticibus omnimodam ejusdem Metropolitanæ Ecclesie desolationem, omniumque illius Mensarum Archiepiscopalis, & Capitularis bonorum devastacionem, aliaque similia gravissima damna in ipsorum perniciem, & everisionem inferenda. Porro Capitulum, & Canonici supradicti ejusmodi minis percussi die 3. Octobris proxime præteriti, licet illa non esset dies Capitularis, secluso, ut asseruerunt, contemptu Clavium, ac declarata verbis erga hanc Sanctam Sedem obedientia illa, quam re ipsa negabant, Venerabilem Fratrem Joannem Dluzeuski Episcopum Gratianopolitan. Suffraganeum Chelmen., ac dicte Metropolitanæ Ecclesie Gnesnensis Custodem, in illius Administratorem Generalem, non tamen sine aliquorum dissenso, elegerunt, ac ipsi plenariam jurisdictionem Administrationibus hujusmodi de jure, & consuetudine competentem tam in spiritualibus, quam temporalibus concesserunt, totumque ei regimen tradiderunt. Subinde vero, nempe die 21. ejusdem mensis Octobris, dictis militaribus copiis ipsam Civitatem Gnesnensem adhuc circumfidentibus, adeoque eodem metu perdurante, electionem Administratoris hujusmodi in omnibus, & per omnia approbarunt, & ratificaverunt. Ceterum non minus injuste, ac violenter cum Ecclesia Uladislavien. factum fuit: Dilecti liquidem Filii Capitulo, & Canonici dicte Ecclesie Uladislavien., cum literas non dissimiles eis, quæ ad Capitulum, & Canonicos Gnesnensis, sicut præmittitur, transmissæ fuerant, uno eadem die 23. Septembris proxime præteriti, eodemque nomine sibi conscriptas, & per eadem fere verba exaratas recepissent, in quibus scilicet falso æque, ac temere præsupposito, quod dicta Ecclesia Uladislavien. vacaret, fructus, & proventus illius Mensis Episcopalis tam præteriti, quam futuri per aliquem e sui gremio eligendum Administratorem colligendi, similiter titulo mutui per Rempublicam futuro Episcopo refarciendi, eidem Capiteo Commissario, ut præfertur, nominato pro authoranda quantocius Patriæ militia consignari demandabantur; & cum subinde ipsi gravium malorum comminationibus perterriti fuissent, nisi ad Administratoris hujusmodi electionem devenissent, ut majora scandala, & infortunia, imo, & bonorum omnium jacturam evitarent, dilectum Filium Adalbertum Ignatium Bardzinski, qui prius ejusdem Ecclesie Uladislavien. Officialis a prefato Constantino Episcopo deputatus fuerat, in Administratorem hujusmodi, itant titulo Officialis in alium Administratoris commutato, ceteroqui penes ipsam curam, regimen, & gubernium dicte Ecclesie Uladislavien., ut prius, remanerent, eligere coacti fuerunt.

Inde secuta
est electio
Joannis Dluzeuski in
Administratorem
cum successiva
approbatione.

Idem accidit
in Ecclesia
Uladislavien.
in cuius
Administratorem
electus fuit
coactus a
Capitulo
Adalbertus
Bardzinski.

§.3. Cum

Causa
præfatus
Declara
tionis de
nullitate
præfatarum
electionum.

§.3. Cum autem hæc omnia per execrabilem, scandalosum, ac a Sacris Canonibus, & Conciliorum Generalium Decretis, Apostolicisque Constitutionibus sub anathemate sæpius damnatum secularis potestatis abusum gesta fuerint; adeoque libertatem Ecclesiasticam Dei ordinationis, & Canonicis functionibus constitutam manifeste læserint, ac lædant, nostramque, & Apostolicæ Sedis auctoritatem, qua Stanislaum Archiepiscopum Metropolitanæ Gnesnensis, & Constantinum Episcopum prefatos Uladislavien. respective Ecclesiis supradictis, sicut præmittitur, præfecimus, gravissime, & aperte violaverint, & violent: ac præterea animas pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi sanguine redemptas in gravissima pericula conjecerint, & deplorandis malis adhuc involvere pergant; novisque proinde, & sane graviores multiplicibus illis, atque diuturnis, quibus florētissimum olim, nunc perturbatissimum Poloniæ Regnum ærumnis premitur, calamitates adjungere noscantur. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum supremi Assertores in terris a Domino constituti sumus, necnon omnium Ecclesiarum, & Christi fidelium curam, & sollicitudinem superna dispositione gerimus, Regnumque prefatum, & illius inclitam Nationem paternæ charitate complectimur; tamen non dubitemus Venerabilem Fratrem Julium Archiepiscopum Nazarenum nostrum, & dicte Sedis in eodem Regno Nuncium omnia, quæ ei hac in re a Nobis mandata fuerint, quæque proinde firmas semper, & salva esse volumus, sedulo, ac fideliter, quantum sibi in presenti inelictissimo illarum rerum statu permiffum fuerit, jam implevisse: nihilominus, ex injuncto Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, prefatarum Gnesnensis, & Uladislavien. Ecclesiarum, illarumque Prefulum indemitati uberius consulere, nostraque, & dicte Sedis lura sacra testata, atque illibata enixius tueri, & conservare, necnon animarum hujusmodi periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, per amplius occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum in præmissis tam a Capitulis, & Canonicis Gnesnensis, & Uladislavien. prefatis, quam ab Administratoribus per eos, ut præfertur, electis, & aliis quibuscumque quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causam, & occasiones, aliaque qualibet etiam specificam, & individua mentionem, & expressionem requirentia presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, electiones eorumdem Joannis Episcopi in Metropolitanæ Gnesnensis, necnon Adalberti Ignatii in Uladislavien. Ecclesiarum prefatarum, earumque bonorum, reddituum, & proventuum Administratoris, ac cujuscumque jurisdictionis concessionem, & regiminis traditionem eis ac earundem Ecclesiarum Gnesnensis, & Uladislavien. Capitulis, & Canonicis respective factas, ut præfertur, & quomodolibet ratificatas, seu confirmatas, aliaque omnia, & singula in præmissis, vel circa ea tam a Capitulis, & Canonicis, quam ab Administratoribus hujusmodi, vel illorum aliquo, prefatarum suarum electionum, eisque sicut præmittitur, respective commissarum administrationum vigore, seu prætextu, per se, vel alios

Declaratio
nullitatis
duarum
electionum
admini
stratorum,
&
quoruncumque
igde secutorum
cum eorumdem
damnatione.

quomodocumque, & qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata, vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda, & ordinanda, cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, & quomodocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, & a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, & de facto præsumpta, nulliusque roboris, momenti, & efficacæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuo fore, tenore presentium declaramus, & decernimus, illaque damnamus, & reprobamus, ac nihilominus ad majorem, & abundantiorum cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, nec ullum per ea Ecclesie, earumque Prefulibus prædictis præjudicium illatum fuisse, aut inferri quomodocumque posse, sed ipsas Ecclesias, earumque Prefules in suis primævis Juribus continuare debere similiter declaramus, in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, vel evenirent.

§.4. Quocirca Joanni Episcopo, & Adalberto Ignatio Administratoribus, ut præfertur, nulliter electis prædictis, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub obestacione Divini Judicii, & interminatione maledictionis aternæ, necnon, ipsi quidem Joanni Episcopo sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesie, dicto vero Adalberto Ignatio sub excommunicationis majoris, utriusque demum sub privationis beneficiorum Ecclesiasticorum quoruncumque per eos respective obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obrinenda ipso facto absque alia declaratione incurrendis poenis, districte prohibemus, & interdiciamus, ne suarum irritarum electionum, sibi que nulliter, ut præfertur, commissarum administrationum hujusmodi vigore, seu prætextu prefatarum Gnesnensis, & Uladislavien. respective Ecclesiarum regimen suscipere, & assumere, sive jam susceptum, & assumptum de cetero retinere, minusque ullam jurisdictionem, potestatem, vel auctoritatem in illis exercere, ullamve inibi actum jurisdictionalem facere, seu continuare, neque illarum fructus, redditus, & proventus percipere, seu forsan jam perceptos cuiquam alteri, nisi earundem Ecclesiarum respective Prefulibus, seu illorum legitimis Procuratoribus, vel aliis, quibus Nos illos tradi, vel consignari mandaverimus, tradere, vel consignare ulterius audeant quovis modo, seu præsumant. Eos quoque, qui illis, vel eorum alicui scienter in præmissis paruerint, vel auxilium, consilium, vel favorem quovis modo præstiterint, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præminentie, vel dignitatis fuerint, similibus poenis eo ipso innodamus, & innodatos fore, ac beneficia hujusmodi, quorum privationis poenam propter transgressionem presentis prohibitionis per prefatos quomodolibet incurri contigerit, ipso facto absque alia declaratione vacare, illaque per quoscumque impetrari posse decernimus itidem, & declaramus, necnon eorum-

Prohibicio,
ne alicui
Administratores
se ingentur in
regimine
dicte
Ecclesie
sub di
verfis poenis.

Inposito
poenarum
contra
auxilium,
&
consilium
prestantes,
&
Favores,
quibus
minime
suffragetur
excusatio
erroris.

rumdem beneficiorum sic vacantium collationem, provisionem, & omnimodam dispositionem, ac prefatarum poenarum absolutionem, seu relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus. Moneutes insuper omnes utriusque sexus Christianifideles, de quorum aeterna salute solliciti esse debemus, prefatos Joannem Episcopum, & Adalbertum Ignatium nullam in eisdem Ecclesiis, suarum irritarum, ac invalidarum electionum, eisque nulliter, & de facto, ut praefertur, respective commissarum administrationum hujusmodi vigore, vel pretextu, five quoad temporalia, five quoad spiritualia, jurisdictionem, aut potestatem habere, vel habuisse; adeoque nec ullam circa ea, quae Sacramentorum administrationem, aut alias forum, conscientiae, vel contentiosum quomodolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo valide posse, nec potuisse, neque contra haec allegari, vel praetendi posse excusationem ex communi errore; nam praeterquamquod satis omnibus notum erat, atque est, neutram ex Ecclesiis praedictis vacare, & utramque illarum suum habere Pastorem a Nobis canonice constitutum, abusus secularis potestatis in electione Administratorum praedictorum fere communiter innotuit, omniumque recte sententiam horrore, & detestatione reprobatus fuit, prout illum ab omnibus damnari, & reprobari volumus. Praeterea cum notorii, & explorati juris sit eos omnes, qui Capitula, & Canonicos supraadd. ad praemissa peragenda per se, vel alios quoquomodo adegerunt, necnon Adhaerentes, Fautores, Consultores, & Defensores eorum, quocumque tandem gradu, seu dignitate quantumcumque sublimi praesulgeant, censuras omnes, & poenas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim literis die Coenae Domini singulis annis legi, & promulgari solitis contra similia perpetrantes infideliter damnabiliter eo ipso incurrisse: notum similiter omnibus esse volumus, illos a censuris, & poenis hujusmodi post debitam, & condignam Ecclesiae, ac partibus praestitam satisfactionem, nonnisi a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constitutos, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis, & satis aciendo, cautione praestita, atque cum recidivitate eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari posse.

Absolutio censurarum in quas incurserunt Rei S. Pontifici referretur.

Clausula.

§.5. Decernentes etiam easdem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati, & alii quicumque in praemissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praerogativa, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocari, citari, & audiri, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, & justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, pretextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis lesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus,

aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apositionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suorum plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnium plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcussè observari: Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praefatae Cardinales, etiam de latere Legatos, & eisdem Sedis Nuncios, aliove quoslibet quocumque praerogativa, & potestate fungentes, & functionarios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac Universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon praefatarum Gnesnen., & Uladislavien. Ecclesiarum, & alii quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis; & consuetudinibus, ac usibus, & styli etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis praefatis, aliisque quibuslibet Personis etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantumcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus,

mus, ceterisque contrariis quibuscumque. §.7. Volumus autem, ut earundem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem, prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Februarii MDCCVIII. Pontificatus nostri anno Octavo.

Dat. 10. Feb. 1708. An. 8.

CLX. Confirmatur Decretum Capituli Gen: Fratrum Recollec. Discalc. Ord: S. Augustini Congregationis Hispaniae de casu, quo decederet Vicarius Generalis d. Congregationis.

Consi: ed: 1704, Feb: 13, P. 4 declarata suere privilegia Provincialium absolutorum. Et Bened: XIII Consi: ed: 1630, Feb: 14, P. 5 reducitur alterativa pro electione Vicarii Generalis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius modernus Procurator Generalis Fratrum Eremitarum Recollec. Discalc. Ordinis S. Augustini Congregationis Hispaniae Ordinis Sancti Augustini, quod in Capitulo generali dictae Congregationis in Oppido Civitate nuncupat. Borgia in Regno Aragoniae die 20. Maji 1706. celebrato, inter alia duae sequentes Constitutiones pag. 171. editae fuerunt, videlicet, quod Magistris Primariis Novitorum trium Domorum Regularium, nempe Matritensis, Caesaraugustan., & Hispalen. attentis eorum laboribus jus ferendi sufragium, five votum in Capitulis Provincialibus suarum Provinciarum competat, ea tamen lege, ut dicti Magistri Novitorum ab immediata Priorum jurisdictione exempti minime sint, & in omnibus, & per omnia usdem Prioribus subiecti remaneant, quemadmodum alii Religiosi subditi immediate illis subiecti reperiantur, & quod in posterum ii Religiosi, qui Priorum alicujus Domus, five magni Conventus, five Dissinctorii Provinciarum, seu Lectoris Sacrae Theologiae muneribus functi fuerint in Magistros Novitorum eligantur; Ac insuper in praedictis Constitutionibus fol. 173. statutum fuit, quod decedente Vicario generali praedictae Congregationis five naturaliter, five civiliter in ejus gubernio pro tempore existens Prior Provincialis Provinciae, cujus est filius usque ad complementum sexennii succedat, ad hoc, ut omnes Provinciae Dignitatis honore per dictum sexennium, aequaliter frui valeant, ac officia generalia pariformiter nonnisi post triennium cessent, necnon expense occasione Capitulum faciende evitentur, casu vero quo eundem Priorem Provinciale in praedicti Vicarii Generalis officio succedere contingat, Officium Prioris Provincialis hujusmodi vacet, & id, quod in Constitutionibus super praedicta Recltoris Provincialis dispositum reperitur adimpleatur.

A Capitulo Gen. d. Congregationis 1706 editae fuerunt duae insequentes Decreta.

1. De Magistris Novitorum.

2. De casu, quo vacaret Vicarius Gen:

3. Praesentibus Congregationis pro eorum confirmatione.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Capitulum Generale praedictum, confirmationem Decretorum, seu Statutorum

hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia, & observatione ab hac Sancta Sede impetrari mandaverit: Nobis propterea praefatus Procurator Generalis tam suo, quam dictae Congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui attempta relatione dilecti Filii nostri Josephi Renati ejusdem S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupat. dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris eisdem Cardinalibus facta, quoad primum Decretum resolutionem distulerunt, consilio, secundo dictum Decretum, seu Statutum Capituli Generalis dictae Congregationis Hispaniae auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum Cardinalium.

Confirmatio secundi tantum Decreti

Clausula.

§.3. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suorum plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Orationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Congregationis Hispaniae, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X. Februarii MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Bb

CX.

CX.

Dat. 24. Mar. 1708. An. 8.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. de electione Diffinitorum adjunctorum loco Procuratorum Gen. absentium Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia.

Inn. XII Const. ed. 1698, Aug. P. 8 confirmatum fuit Decretum de interventu quorundam in Capitulo Provinciali. Et hujus Pontificis Const. ed. 1708, Jul. 25. Pont. 8 conceditur vox deliberativa praedictis Diffinitoribus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ob litem ortam in d. Congregatione emanavit sequens

Manavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita in causa Avenionen., seu Parisien. inter dilectos filios Clericos Seculares Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia ex una, & quosdam particulares Presbyteros Provinciae Parisien. ejusdem Congregationis Doctrinae Christianae, ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet = In causa Avenionen., seu Parisien. inter Congregationem Doctrinae Christianae in Gallia ex una, & quosdam particulares Presbyteros Provinciae Parisien. ejusdem Congregationis partibus ex altera, desuper infrascriptis Dubiis, nempe = Primo. An sequens Decretum Capituli Generalis anni 1705. sustineatur, in casu &c. & quatenus affirmative. Secundo. An beneplacitum Apostolicum pro voce declarativa sit concedendum?

Decretis, quo resoluta fuerit duo dubia super quodam decreto Capituli Gen. 1705 de Diffinitoribus adjunctis.

Decretum Capituli Generalis PP. Doctrinae Christianae Parisiensis celebrati anno 1705.

Sessio 18. Quia alter Procurator Generalis, vel uterque simul possunt abesse a loco, ubi Diffinitorium desit, sequae suam privare Provinciam suffragio ipsi debito; Statutum est, quod ut iusta stabilietur aequalitas juxta id, quod decretum fuit in novissimo Generali Capitulo Sessione 22. in eorum loco eligantur Diffinitores adjuncti, qui voce fruantur consultiva, illis absentibus, & non aliter, donec a Sancta Sede ipsis & deliberativa obtineatur; tum in Diffinitorio, tum in Capitulo Generali, cum dicti Procuratores Generales ipsis adesse non poterunt. Ad eorum autem electionem requiretur eadem, & aetatis, & professionis antiquitas, qua ad aliorum Officialium majorum, Locus eorum erit post Secretarium Generalem, quod si vel morte praeventi, vel alia quacumque ratione deficiant, eorum officio providebitur eo modo, quo Officia aliorum Officialium majorum = Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita Partibus ipsis informantibus, referente Eminentissimo Sancti Clementis, respondit, Affirmative ad utrumque. Romae 23. Septembris 1707. = G. Cardinalis Carpineus = F. Archiepiscopus Nicensis Secretarius.

Preces Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis praefata Congregationis Doctrinae Christianae Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolica Confirmationis Nostrae pra-

trocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemis auctoritate praefata Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis re, spectate inviolabiliter observari: sique in praemis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§. 3. Non obstantibus praemis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Doctrinae Christianae hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXI.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Reg. de juramento in Abbatum Benedictinorum pro Congregatione Benedictino-Bavarica.

Dat. 8. Maji 1708. An. 8. g

Inn. XI Const. ed. 1687, Mar. 21, P. 11 confirmatur Decretum super Dubiis circa Constitutionibus pro Nuncio Helvetiorum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Manavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita in causa Benedictinorum novorum Abbatum, & juramenti in illarum actu praestandi inter dilectos filios modernum Praesidem, & Abbates Congregationis Ba-

Lis orta inter Abbates praedictos, & quosdam Episcopos

Decreti Congregationis, quo declaratur Abbatibus in eorum Benedictinibus non teneri ad aliud juramentum quam illud in Pontificali Romano descriptum.

Bavaricae Monachorum Ordinis Sancti Benedicti ex una, & Venerabiles Fratres Modernum, Augustanum, nonnullosque alios Episcopos ex altera Partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet = In causa vertente inter Patres Praesidem, & Abbates exemptae Congregationis Benedictino Bavaricae, praetendentes in Benedictinibus novis Abbatibus impartiendis ab Episcopis, tanquam Sedis Apostolicae Delegatis, novos Abbates non teneri ad aliud juramentum, quam ad illud contentum in Pontificali Romano, juxta Decreta Congregationis particularis die 14. Januarii 1687. ex una, & Episcopum Augustanum, nonnullosque alios Episcopos sustinentes, novos Abbates in actu dictarum Benedictinorum teneri praestare juramentum fidelitatis, subjectionis, & reverentiae ipsis Episcopis, eorumque Ecclesiis, Partibus ex altera = Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita; Partibus hinc inde auditis, referente Eminentissimo Sperello mandavit, executioni demandari Decreta praedicta Congregationis Particularis, & censuit, ac declaravit, servandam esse formam praescriptam in Pontificali Romano pro Abbatibus exemptis. Romae 20. Aprilis 1708. = G. Cardinalis Carpineus = Ferdinandus Archiepiscopus Nicanus.

Preces Abbatum.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte dictorum Praesidis, & Abbatum praedictae Congregationis Bavaricae Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolica confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sique in praemis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictae Congregationis Bavaricae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis

Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transfumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Maji MDCCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXII.

Damnatur, & prohibetur liber sub tit. Traité de la puissance Ecclesiastique, & temporelle &c.

Dat. 14. Maji 1708. An. 8.

Damnatur, & prohibetur liber &c. Traité de la puissance &c. Const. ed. 1707, dec. 19. P. 8. damnati fuere libri Laurentii Pirez de Cavallo. Et Const. ed. 1708. Jul. 13. P. 8. damnatur: Le Nouveau Testament &c.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis Apostolicae servitutis munere, quo Catholicae Ecclesiae regimini divina dispositione praesidemus, Dominici Gregis custodiae jugiter invigilantes, ac oves aeterni Pastoris sanguine redemptas a perniciosarum doctrinarum venenis pastoralis charitate, quantum Nobis ex alto conceditur, praeservare satagentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, ac etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, librum quemdam Gallico idiomate conscriptum, cui Titulus: Traité de la puissance Ecclesiastique, & temporelle Anno 1707. Typis (ut accepimus) impressum, & in lucem editum, tenore praesentium damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianis fidelibus, etiam specificis, & individua mentione, & expressione dignis sub excommunicationis poena per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in Mortis Articulo constitutus absolvi possit omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque librum praedictum poenes se habuerint, illum statim ac praesentes literae eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel haereticae

Damnatio, & prohibitio d. libri cu mandato illi tradendi Ordinariis, vel Inquisitoribus.

pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur.

Clauſula.

§.1. Ut autem eadem presentes litera ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate predicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curia Generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est publicari, illarumque exemplar ibidem affixa relinqui, itaut sic publicate, omnes, & singulos quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificata, & intimata fuissent: ipsarum autem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eandem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, que haberetur ipsis presentibus si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Maji MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXIII.

Confirmatur, & innovatur Constitutio Paoli V. contra ambientes Officia, & dignitates in Congregatione Canonicorum Regul. S. Salvatoris Ord. S. Augustini.

Dat. 20 Junii 1708. An. 8.

Inn. XII. Const. ed. 1695., Jan. 19., P. 4. statutum fuit, ut serventur Constitutiones de receptione Regularium professorum. Et hujus Pontificis Const. ed. 1709., Mar. 18., P. 9. extenditur indultum de Prælatibus obtinendis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiæ Catholicæ regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione præfidentes, illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad recidendam, & excludendam a Religiosis viris, quos in humilitatis Spiritu Deo servire decet, ambitiosa honorum, & dignitatum cupiditatem pie, prudenterque constituta esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilius, novisque præfidiis ut serventur, exactius corroboramus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum salubriter in Domino expedire arbitramur.

Refertur Constitutio Paoli V. contra impl. can. es auxilium extra Religionem, vel utentes illegitimis modis ad Officia, vel dignitates obtinendas, cum præscriptis prænotati, n. d. m. contra eos, sed etiam contra Superiores indugentes.

§.1. Dudum siquidem per fel. rec. Paulum PP. V. prædecessorem nostrum accepto, quod quidam in Congregatione Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini Dignitatum, & officiorum in dicta Religione ambitione ducti pro iis consequendis Ecclesiasticorum, & secularium Principum, aut aliarum personarum studia requirebant, & S. R. E. Cardinalibus, aliisque Prælatibus Commendatitiis literas, aliosque favores, & gratias procurabant, quibus adiuti gradus, & dignitates in eadem Religione consequi valerent: propterea dictus Paulus Prædecessor Officia, & Dignitates pro meritis cujuscumque absque ambitu conferri cu-

piens per quasdam suas in simili forma Brevis die 22. Septembris 1607. expeditas literas, Motu proprio, & ex certa scientia, & mera deliberatione suis omnes, & singulos Canonicos Regulares dictæ Congregationis, & Ordinis cujuscumque gradus, status, conditionis, præminentia, qualitates, & dignitates existentes, qui de cetero pro Prælatibus gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & aliis Officiis Congregationis, & Ordinis prædictorum consequendis ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque personarum tam Ecclesiasticarum, quam Sæcularium, de gremio dictæ Congregationis non existentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque Sæculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium, favores recurrissent, aut aliis viis illicitis ad hujusmodi Prælaturas, gradus, honores, & dignitates, administrationes, & alia officia obtinenda aspiravissent, vel aliis minus legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quaesivissent, ac iis obtentis uti fuissent, illorumque complices, & factores ad quascumque Prælaturas, dignitates, officia, gradus, honores, administrationes, & munera in ipsa Congregatione obtinenda, perpetuo inhabiles declaravit, & obtentis per eos Prælatibus, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & Officiis hujusmodi eo ipso privavit, & sic promotos voce tam activa, quam passiva carere decrevit, & declaravit, atque in virtute sanctæ obedientiæ ac sub excommunicationis lata sententiæ poena omnibus dictorum Congregationis, & Ordinis Superioribus, Prælatibus, Canonicis quocumque nomine nuncupatis, etiam Priori Generali tunc, & pro tempore existentibus præcepit, districtèque mandavit, ne quempiam ullo tempore precibus, literis, vel favoribus adducti, vel alias ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & Rerumpublicarum, vel Prælatorum etiam ejusdem S. R. E. Cardinalium, aut aliarum quarumcumque personarum tam Sæcularium, quam Ecclesiasticarum extra dictum gremium existentium, ad cujusvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates administrationes, functiones, & officia dictæ Congregationis promovere, vel poenas aliquas remittere auderent, vel præsumerent.

§.2. Decernentes electiones, & promotiones ad Monasteria, seu Prioratus, vel officia dictorum Congregationis, & Ordinis contrariam literarum dispositionem quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorsus, invalidasque fore, & esse, ac omnes, & singulos in præmissis delinquentes nulla alia admonitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & poenas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ad illos sententias, & poenas præmissas damnabiliter incurrisse legitime probandum solas præmissarum personarum instantias, preces, & favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam, & sufficientem in iudicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, & alias, prout in præfatis Pauli Prædecessoris literis, quarum tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

§.3. Cum

Causa Confirmationis re late Constitutionis.

§.3. Cum autem sicut dilectus filius Angelus Seraphinus Matri Procurator Generalis prædictæ Congregationis S. Salvatoris Nobis nuper exponi fecit prædictæ Pauli Prædecessoris litera non ita exacte, & accurate, ut par est in eadem Congregatione observentur: Hinc est, quod Nos considerantes, quod nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tanquam Aaron, ac proinde pravum hoc ambitionis malum omnino tollere, & a dicta Congregatione penitus excludere cupientes, ut Congregatio ipsa præclara semper humilitatis Religiosæ laude floreat, illiusque munera, non mendicatis studiis, sed a viris virtute, & meritis conspicuis obedienter suscipiantur, & humiliter administrantur, ac dictum Angelum Seraphinum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis profèqui volentes, & a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus, & interdici, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, prædictas Pauli Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis censuris, & poenis, & aliis quibuslibet contentis in illis Apostolica auctoritate, tenore presentium approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus sit, innovamus, ac de novo constituimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, illaque omnia, & singula inviolabiliter, & inconcussa in præfata Congregatione Sancti Salvatoris perpetuo servari mandamus, & præcipimus.

Confirmatio, & innovatio Constitutionis re late Pauli V. præcipuis Procuratoris Generalis facta.

Clauſula cũ mandato Generali Constitutionum assignandi, & legendi.

§.4. Volentes, & eadem auctoritate decernentes, easdem presentes literas, illarumque exempla etiam impressa manu Abbatis Generalis ipsius Congregationis S. Salvatoris subscripta, & ejus sigillo munita in locis patentibus uniuscujusque Monasterii affigi, & perpetuo retineri, ac semel in anno per Superiores quorumcumque Monasteriorum inter alias Constitutiones Apostolicas legi, & publicari, dictasque literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignorantèr contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ prædictus Paulus Prædecessor in literis supradictis voluit non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Junii MDCCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXIV.

Conceditur Vineæ in loco Pariolo Congregationi de Propaganda Fide de Urbe, cum erectione Alumnatus pro Juvene Nationis Epitri.

Dat. 20 Junii 1708. An. 8.

De erectione ejus Collegii, & privilegiis vide Urban. VIII. Const. ed. 1627, Aug. 1. P. 4. Hujus Pontificis Const. ed. 1708, P. 8. declaratur, & conceditur exemptio a Parocho Sancti Andrea de Præfatis.

CLEMENS PAPA XI.

Urbis Motu proprio.

CUM in iis, quæ ad Divinum cultum, Sanctamque Catholicam Religionem ampliandam, conservandamque pertinent, non tam operis initium, quam illius firmitas, perpetuitasque spectanda sit; Nos præcipuas muneris nostri partes esse intelligimus, nedum spiritualibus Piorum Institutorum ad id tendentium incrementis peculiari studio aditi, verum etiam temporalibus illorum commodis, & tranquillitati prospicere, quos Divina bonitas ad Sacrum Evangelicæ Prædicationis, Fideique Propagandæ Ministerium adlegit, ut tamquam digni operarii in Agro Domini, cum tempus Mellis advenerit, strenue, utiliterque laborent, & uberiorem in sinu Ecclesiæ fructum, Deo benedicente, deponant.

Exordium.

§.1. Sane licet fel. rec. Urbanus PP. VIII. Prædecessor noster per quasdam suas Literas Apostolicas optimo quidem consilio Collegium, seu Seminarium Apostolicum Pontificum Pastoralium Urbanum nuncupatum pro excipiendis, & alendis Sacerdotibus Sæcularibus, & etiam Clericis, ad Majores tamen Ordines infra certum tempus promovendis, bonis Moribus, Pietate, & sana Doctrina præditis, ex omni gente, & Natione desumendis, ad effectum Fidem Catholicam, & Apostolicam in partibus Infidelium, totoque Terrarum Orbe, etiam cum eorum Vita discrimine, si opus foret, propagandi, & dilatandi, eamque tuendi, & conservandi in iis locis, ubi jam sita reperitur, creverit, & instituerit, aliaque statuerit, decreverit, & ordinauerit pro felici gubernio Collegii, seu Seminarii, & Alumnorum hujusmodi, ut in prædictis literis super hoc editis plenius, & uberius continetur. Experientia tamen comperit, Juvenes istos ex longinquis, ac etiam extremis Mundi partibus ad idem Collegium, seu Seminarium accedentes, Coelique qualitate, ac Vita etiam ratione inter se maxime diversos, ex assidua in studiis, ac piis exercitiis occupatione, quibus eorum natura assueta non erat, graviter affici, & paulatim exinde contractarum ægritudinum causa, aut præmature decedere, aut inhabiles ad labores in Missionibus sustinendos evadere, quod non accidit Germanici Pontificii, ceterorumque similium Collegiorum a clara me. Gregorio XIII. aliisque nostris Prædecessoribus Romanis Pontificibus erectorum Alumnis, quorum levamini, quieti, & tranquillitati provide consultum est de aliquo ad amoenitatem facto loco, ubi vacationum tempore, vel statutis horis intermissio studio honestæ recreationis causa conveniunt.

Ereccio Collegii, & cause emendi aliq. em locum pro recreatio ne.

§.2. Hinc